PAMFLET
5551

Digitized by Google

Digitized by Google

T 3204

PROPOSITIO

FACTA CELSIS PRÆ-potentibus Dominis Ordinibus Generalibus Confœderatarum Provinciarum Belgii in conceſſu publico 16. Auguſti 1647.

PER

D. FRANCISCUM de SOUSA COVTINHO, Sereniſſimo Luſitaniæ Regi a Conſiliis, illius Gubernatorem & Capitaneum Generalem inſularum quas *Terceiras* vocant, nec non ſtatus Braſiliæ jam nominatum, atque in his Confœderatis Provinciis Legatum Ordinarium.



KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

5551

HAGÆ-COMITIS,

Excudebat *Iohannis Breeckevelt*, Typographus. Anno 1647.

Digitized by Google

Digitized by Google

Celsi Præpotentes Domini Ordines Generales Provinciarum Unitarum.

IN conferentia quæ 23. May inter me & Dominos Commissarios qui a celsitudine vostra nominati fuerunt, habita fuit, primum medium quod proposivi ex tribus, non alium finem sibi præfixum habuit, quam ut loca Pernambucana a sublenatis vestris subditis intercepta, vestro restituerentur Dominio, si namque in istum scopum non collimassem, frustra me in Brasiliam proficisci vobis obtulissem. Verum quia suspicor vos non me debite intellexisse, iterum hodiè vos alloquor, verbisque clarioribus & amplioribus propositionis meæ intentum aperio.

Restitutionem desideratam tunc vobis obtulj, licet in modo non eandem qualem nunc propono. Duobus modis fieri potest hæc restitutio; vel benevolâ subditorum vestrorum reductione, vel violantâ illorum subjugatione; illam tunc intendebam, nec responsum quidem obtinui si vero ut de hac agamus, magis, convenit & ut Rex Dominus meus, se obliget, certò, &, infallibiliter, eam vobis præstare; vos quoque manum operi admovere necesse est, quatenus optatus ille finis obtineri possit.

Offero itaque ipsius Majestatis nomine Pernambuci restitutionem sub conditionibus quas Rex Christianissimus illi jussit proponi & vestræ celsitudini expressérunt Excellentissimi Domini illius Legati, Extraordinarii Comes de Servient, & de la Tullerie, quæ conditiones quam vobis sunt faciles, tam difficilè est Regi Domino meo sine illis præstare, quod ipse vehementer

Digitized by Google

desiderat, & ab illo petiit Christianissima Majestas, Dixi, conditiones, cum sit unica tantummodo, scilicet, si efficiant Celsi Præpotentes Domini Ordines Generales, & illorum nomine sui Plenipotentiarii ut inter Regem Portugalliæ & Regem Castellæ stabiliatur si non pax perpetuà (quæ certè in causâ tam justâ recusari non deberet) saltem temporaneâ.

In Brasiliam mittebat me Rex Dominus meus ad componendos Lusitanorum vestrorum subditorum animos, tumultusque sedandos; persuasum enim sibi, prudenter habebat, suæ nationis homines facile posse reduci intra terminos debitæ submissionis & obedientiæ, si illius nomine a Ministro suo publico monerentur. Hoc suavi medio, hac benevolentiæ viâ spes quidam nobis affulgebat recuperandi Pernambucum. Certitudo autem nulla dari poterat. Quę tamen si a Rege Domino meo vobis sit prestanda, ita ut promisso se obstringat in pristinam totius Pernambuci possessionem vos restituere (quo casu forsitan necesse erit cum illo populo incedere non viâ benevolentiæ, sed coactionis & violentię) non gravari debetis istud illi prestare beneficium quod ejus nomine a vobis postulo. Nam quid est aliud illius Majestatem, illud promissûm exequi, quâm armatâ militū manu, classe magno sumptu instructa trajicere in Brasiliam; ut quos rationibus non potuerit vincere, armis ad restitutionem faciendam compellat, an autem hoc prestare valeat, interim dum in bello manet, cum potentissimo sibi in portis imminente adversario, quando Europa tota in pace sedebiti, vos ipsi judicate.

Dici audio (sed voces sunt populares) totam Brasiliam facile vestro subjugandam Dominio, si firmata inter vos & Castellam pace, nos cum illa in Bello permaneamus, nullum autem subesse dubium, saltem de recuperando Pernambuco, sed ex vobis scisciatari volo quid è re vestra magis sit; Pernambucum Provinciam tam amplam tamquè copiosam sponte, absquè ullo vestro dispen-

Digitized by Google

dispendio ad manis vestras redire, an, quod toti inhiatis Brasiliæ periculo vos exponere totam perdendis. Certò namquè certius tenere debetis illos homines in ultimam desperationē adactos, omnia bona sua flammis tradituos, inque sylvas, & loca ardua atque inhabitata sese recepturos. Quid autem erit, si anceps belli fortuna, vel maris instabilitas vestris conatibus non faveant? sed faveant, obscero vobisquè cuncta accidant ex animi sententia. In statera æqui vestri judicii, appendite sumptus immensos quos bellum istud transmarinum devorabit, annos steriles & infructuosos quos numerare debebitis, priusquam Pernambucum pristino restituatur statui, insuper quidquid nummorum interim expendetis, adhunc finem consequendum & facto computu invenietis Majestatem suam vobis offerre thesauros inestimabiles. E contrario verò vobis & nobis imminere ruinam irreparabilem, nosquè in nostrum ludibrium toti mundo præbituros spectandam pugnam Cadmicam, ex qua discordia inimicus communis uberrimam messem colliget.

Precor quatuor rationibus patienter aures concedatis, quas nuper ex quodam scripto decerpsi lingua vulgi impresso, quibus author mirum in modum inculcat pacem vobis cum Castella esse ineundam, iisdem utar in præsenti nostro casu velut argumentis ut ajunt ad hominem si is Minister, vester sit qui illas edidit sin vero extraneus aliquis fas vobis erit eadem argumenta in illum retorquere. Ab ipsa conscientia (quæ semper, & ubique apud probos fideles primum locum obtinet) incipit ostendere vos teneri ad pacem amplectendam, quam Castella offert. Quando quidem (ita fere loquitur) hujus quæ nobis offertur pacis tales conditiones sint, quę totum belli fundamentum tollunt, omnesque causas, & prętextus adimunt ob quos arma olim arripumus, urgemur nunc Christiana pietate (quam Deus non desinet in nobis coronare prosperitate temporali & eterna) illa

Digitized by Google

arma è manibus deponere, & oblatum fœdus amplecti. Hæc prima conſcientiæ ratio plurimum, facit in hoc præſenti noſtro caſu, ſi enim illà dictante arma deponitis quæ olim ſumſiſtis, contra inimicum antiquum, Eo quod vobis deinceps jam amplius nolit nocere pacifiſeque ſinat vos vivere & reſidere in bonis quę, poſſidetis quanto magis eadem conſcientæ ratio dictat arma contra amicum non ſumenda qui non tantum vobis non vult nocere, ſed cupit prodeſſe, non ſolum non invidet vobis bona quæ poſſidetis, verum etiam offert ſe, & ſua impendere, ut acquiratis, ea quę licet aliquando poſſediſtis, nunc autem a poteſtate veſtra exciderunt in cujus regno veſtris populis tanta eſt commercandi commoditas qui tanti eſtimat veſtram amicitiam, ut pro illa conſervanda velit plus ſolvere quam vos expendere ad illam perdendam, ita ut idcirco merito vos alloqui poterit, verbis quibus Iephte alloquebatur regem filiorum Ammon: *non ego pecco in te, ſed tu contra me male agis, judicens mihi bella non inſta. Judicet Dominus arbiter hujus diei inter Iſrael, & inter filios Ammon. Judicum 11. Capite.*

Ab honore ſumit ſecundum argumentum, non illud ad longum de ducam, dicam tantum modo non minus intereſſe veſtro honori ſtare vos veſtris promiſſis communi conſenſu omnium veſtrarū Provinciarum factis, quando cum corona Luſitanica inducias celebraſtis & illi juraſtis amicitiā Pace perpetua poſtmodum confirmandam, quam firmum & ratum habere, id quod in negotio Pacis cum Caſtella contrahendę veſtri Plenipotentiarii in conventu Monaſterienſi contractarunt, nec vos latet, cur hucuſque illa perpetuę Pacis luſitanicę vobiſcum confirmatio effectum non habuit illam remorati ſunt plurimi hoſtiles actus a veſtris ſocietatibus contra Luſitanos exerciti de quibus (ſed fruſtra hactenus) coram veſtra celſitudine toties fui conqueſtus.

Securitatis publicæ bonum tertio loco ponit aſſertor Pacis Caſtel-

Digitized by Google

Castellanæ ut illius intuitu, vos hortetur ad hanc acceptandam, quod bonum numquam, plenius vel certius (inquit) potestis consequi, quam dum ab inimicis vos eximitis, a simultatibus, vos liberatis, controversias tollitis populo minus gravaminis imponitis, illius lachrymas, & murmurationes sistitis &c. quæ eadem ratiò ita militat in nostro præsenti casu, ut necesse non sit illi quidquam vel addere aut demere.

Pergit ad quartam rationem, judicat enim debitum esse & perquam necessarium huic statui, post tot exantlatos labores, jam octoginta circiter annis, tandem aliquando semel quiescere, expendit impossibile esse hominem perfrui dulcedine & suavitatibus vitæ præsentis, inter continuos bellorum strepitus, inter tot tristes infortuniorum casus, & frequentes neces maximorum sepe amicorum cum perenni illo cor torquente timore, quotannis in campum prodeundi, ubi varius est eventus belli, qui sepe siniſtre accidit, quando speratur maximè prosper futurus (& infra prosequitur) *sed demus pro votis nobis jaci, Martis aleam, operæumque nos sortiri belli exitum, ibi tunc vergeremus ad nostrum occasum, ubi videremur amplieres fecisse progressus, cum nunquam soleat prodesse victoria, quando illegitime fuit obtenta, & empta incremento vicinorum, qui nobis forent periculosiores, ipsis inimicis quos uniceremus.* Quis non videat quantum etiam hæc ipsa ratio in præsenti nostro casu militet, si enim quies his Provinciis adeo sit debita & perquam necessaria, certè non expedit denuo in novos labores vos ingerere, novum inchoare bellum idque molestissimum & periculosissimum, unde vobis frequens amicorum mors & crebra in fortunia etiam erunt audienda, nam triplo plures milites devorat, & triplicatas habet expensas bellum transmarinum quam id quod quis in terra sua gerit, & quod maximè animadvertendum arbitor, fructum colliget is qui utrique nationi minus convenit certissimum enim est nostro sanguine nostrisque bonis fertilizan-

tilizandos agros quos ipse imaginatur se postmodum culturum.

Forsitan dicetis regi Domino med armis non esse opus quatenus efficiat, ut Pernambucum vestro restiuatur dominio, quando quidem ipsius verba sufficiunt supponentes si non directè saltem indirectè illum concurisse cum vestris inobedientibus subditis qui eâdem facilitate illi acquiescent, ut se denuò submittant vestro regimini quâ præbuere aures quando se a vobis subtraxerunt, hoc si ita creditis, cur non annuistis mihi, me offerenti in Brasiliam proficisci? Regis Domini mei nomine ibam, bona verba prolaturus, sed non arrisit vobis isthæc mea propositio credidistis plus quam verbis opus fore ad certum effectum consequendum, optimè quidem: nam concesso numquam concedendo, quod ipsius Majestas aliquid actionis in dicto opere habuerit scitis Philosophiæ principium, *bonum esse ex integra causa malum ex quocumque defectu*, plusque requiri ad restaurandam rem quamlibet quam ad illam destruendam. Vt autem vobis constet illius Majestatem, in isto casu nihil contribuisse & manus habere prorsus innoxias, si non sufficit id quod impresentiarum promittit super-abundantissime profecto, illud in eo testatum reliquit, quod cum potuerit a principio sublevatis illis vestris subditis suppetias ferre, & junctis cum illis viribus tale robur formare exercitus, quod sufficeret ad cunctos societatis ministros Pernambuco exterminandos quando priusquam hinc subsidium receperant, res illorum uti scitis vix subsistere poterat, & tantum erat non desperata, noluit licet rogatus, Gubernatorique suo perquam severé mandavit, nihil in hac re tentare in vestrum incommodum. Dicetis prudenter quidem, ne secus faciendo videretur se hostem nostrum declarare rumpere amicitiæ fœdus aperto Marte contra nos bellum gerere. Respondeo: si id ita accidisset, nec in his, Provinciis potuisset contra ejus Majestatem spargi plus calumniarū quam sparsum fuit, nec societas plus odii con-

Digitized by Google

concipere, & hostilitatis, quam jam concepit, & contra illum exerruit.

Sed ista nunc transeo, quia ad alia festino, non querelas depositurus veni, sed malo Pernambucano (si vultis) obviaturus quod quidem Majestas sua, suo Marte & suis, ipse sumptibus, offert restaurare, ita ut in integrum, omnia vobis restituantur loca quæ ad Pernambucanam, Iurisdictionem spectant, gensque illa inobediens vestro sicut antea, se submittat regimini; si reciproco quod a, vobis postulat, illi respondeatis beneficio, scilicet si apud Regem Castellæ, instetis, ut si non pacem saltem inducias cum illo contrahat, adjunget Christianissimi Regis Majestas, per suos Ministros etiam suam instantiam, ne aliquid desit, quo minus non impetretur quod Rex Dominus meus per vos obtinere desiderat, qui non verbo tenus, sed re ipsa vobis erit fideliſſimus in prestando quod promisit, rationibus utetur ad reducendum illos vestros sublevatos subditos, ut moveat, sed arma & vires ostentabit quibus minetur, & terreat. Expedit ut suaviori qua fieri potest via hæc reductio fiat, vosque etiam a rigore abstineatis, si clementia intentum, vestrum possitis consequi. Grave crimen a multis commissum condonari, debet, quia in omnibus castigari non potest, asserit clementia fideles subditos quos nimius rigor sepe in desperationem egit, & perdidit. Cæterum quod Majestatis suæ est, exequi non poterit quin novum robur exercitus Regno suo extrahat, & in Brasiliam mittat. Bahyæ namque incolæ, ut plurimum sunt vel sanguinie vel affinitate juncti cum Pernambucanis illis vestris inobedientibus subditis, ad quorum partes timendum est ne transfugiant, si mittantur ut contra illos pugnét, quatuor vel quinque millia militum. Bahyæ Presidia, defendunt sed isti non sufficiunt ad illum populum subjugandum an autem consultum sit Regno extrahi militem interim dum cum Castella, bellum gerit, iterum dico vos ipsi judicate.

Digitized by Google

Nec quis dicat junctis vestris & nostris (quas in Brasilia habemus) viribus posse populum istum facilè superari quo casu necesse non erit Regnum prebere aliquem militum, fatebor hoc facile, sed quid mundus dicet, quando videret Lusitanię Regem, vestris suas conjungere copias, ad lusitanos jugulandos, nobis & vobis deperderetur infallibiliter tota Brasilia quin etiam ipsum Regnum Portugalliæ periculo exponeretur, infestissimi belli intestini, vos scitis Regibus ad sui conservationem pluris interesse, ut possideant subditorum corda, quam ut robore valeant & fortibus armis, illa procul dubio deperderentur hęc nihil efficerent, arma in manu Regis erunt instar flagelli quod pater filio solet monstrare quando ad illius correctionem judicat sufficere terrorem, in alienis autem manibus arma, etiam vidente Patre semper sæviunt.

Quidquid Majestas sua potest, & sincero corde desiderat, hoc ejus nomine vobis offero, qui omni facultate necessaria me munivit ut super hac re vobiscum agerem, adhuc tempus est (si velitis) ut illam mandemus Executioni, si autem nolueritis (quod avertat Deus, nec ego a vestro prudenti Regimine expecto) Protestabor coram ipsius divina Majestate, & tote orbe Christiano, de tot gravissimis malis, quæ (si convenire recusetis) ex bello illo non necessario, & tam injusto poterunt resultare.

Tandem pro Coronide eorum quæ proposui: dico Majestatem suam mihi commisisse Brasiliæ Regimen, ut ibi re exequar quidquid hic vobiscum decernam, hoc munus accepto, non alio intuitu quam ut Pacis stabilitor sim, inter duas nationes, quibus utrimque tanti interest, ut sibi invicem servent amicitiam. Hinc in ipsis vestris navibus, vestrosque inter, in Brasiliam proficiscar. Ne autem vos retrahat rei præstandæ incertitudo, quam forte apprehenditis. Licet enim sacrosanctum Regis verbum, quod infringere nefas est, vos satis superq; securos reddat, nihilominus tamen

Digitized by Google

tamen illi super-addemus omnem certitudinem & securitatem quæ moraliter loquendo dari poterit. Datum Hagæ-Comitis, 16. Augusti 1647.

FINIS.

Postquam super hâc propositione Legatus a D. Præside responsum acceperat, iterum his sequentibus verbis celsos-præpotentes DD. Ordines Generales est alloquutus.

Celsi-Præpotentes Domini Ordines Generales.

POst Pernambucanos tumultus, statim quicquid mihi visum fuit pro illorum remedio cõveniens, & apud suam Majestatem crebris literis, & coram Celsitudine vestra propositionibus oblatis tentare non destiti; Duorum cum dimidio annorum spatio, aliam nonobtinui responsionem, nisi, restituto Pernambuco tunc de conferentia ageretur, ac si necessarium non foret, prius restitutionis formam expedire, ut sæpe sæpius postulavi, & de eo apud vos & Dominum Principem Auriacum defunctum conquestus fui.

Si causam utrimque per terminos ordinarios ageremus, & Commissarios nominaretis ut toties rogavi, jam jam lis finita & com-

Digitized by Google

compoſitio ex optatu facta eſſet; cur tamen hoc renuiſtis capere non queo: Tandem poſt longam & aſſiduam prætenſionem, Commiſſariorum nominationem obtinui, ſed ad media in conferentia oblata, nec verbum quidem pro reſponſo accepi, ſi ſaltem negativum daretis, reſtitutionem quam nunc offero tunc proponere non diſtuliſſem; & ſi adhuc hæc propoſitio, & reſtitutionis promiſio vobis non placet. Mentem veſtram aperite, verbis namque animi intentio declaratur & conferendo, quicquid poſſibilitatis termini capiant, & plus, ſua Majeſtas pro conſervanda amicitia adeo ſibi chara Celſitudinis veſtræ non deſpiciet, imo amplecti credo. Quæ poſſunt finiri amicabili convenientia, quare armorum arbitrio & incerto furtunæ ſucceſſui relinquentur? Bellum gerere in Braſillia deliberaſtis, non tamen adhuc expeditæ manus, nec impenſæ factæ; dum lapis è manu non projicitur retineri poteſt, ejecto tamen, quo cadat incertum eſt; ideo iterum atque iterum a vobis enixè precor ut in negotio tanti ponderis tantique momenti, non paſſionis, ſed meta rationis arbitretur. Exhac deliberatione capta nulla alia conſequentia quam bellum exoritur, bellum inquam non neceſſarium, ceſſat enim cauſa illius, magnum valdè, & non ſic facile ut vobis a quibuſdam repræſentatur & facilitatur. Ex eo fateor quamplurima damna Regno Portugalliæ provenire poſſe; ſed pro certo teneatis vos quoque non immunes illorum: Si placida mente judicare velitis, videbitis quod ex noſtra reciproca compoſitione & amicitia lucra inæſtimabillia redundare & imminere, è contrario vero ſumptus ſolummodo & luctus ſperari debere, reſponſum peto & expecto. Hagæ-Comitis, 16. Auguſt. 1647.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google